



~~Litt.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

11-58.

SIGNAT. ~~ccccccc~~ CCCXIII.

Ex EMINENTIS VIRI  
**Johannis Barclaji**

Icone Animorum

Genius reliquorum Eu-  
ropæ Populorum,

loquente prosæ & vorsæ Orationis  
picturâ adumbratus:


X. KAL. OCTOB.  
A. C. clo Ic XLIV.

In publica Gymnasii Elisabetani Panegyri  
ad contemplandum exponendus,  
directore

**CHRISTOPHORO COLERO**  
Historiarum Profesore.

---

BRESLÆ, Exprimente BAUMANNO.



LECTORI Πολυτρόω  
S. D.



Ulm more prudentum peregrinatorum præterlaps⁹ hujus Anni Majo , commodissimo peregrinandi tempore , peregrinationem conceptu mentis formatam instituissem , & animi gratia cum delecto nostræ Juventutis comitatu , ē Germania tanquam Patria prius perlustrata , in Italiam , Galliam , Hispaniam , & trajecto Oceano in Britanniam contendissem ; emenso illo in Meridionali & Occidental tractu itinere , satietate etiam quadam voluptatis , substi⁹ , & reliquum mentis iter in primum Autumnum , tām commodum prop̄e peregrinando , quam Ver , hucusq; suspendi . Jam itaq; in procinctu sum eodem mentis conceptu , cum diverso , sed non dissimili videndi cupidissimo comitatu , reliquum propositi itineris , per Gentes Europæ versus Orientem & Septentrionem sitas , adornare , ac trajectu novo non in viciniora loca Insularum maxima⁹ illi , sed in remotiorem Orientem , & ejus promontorium ac propugnaculum quasi Hungariam , inde in vicinam Poloniam , ex hac in Daniam & Sveciam ac Moscoviam cum bono Deo transibimus , donec peragrat⁹ Christianis terris , in vastissimum Orientis Imperium Turicum devenerimus . Sed si aliquis peregrinator elegantiarum in humaniore Europa arbiter mihi objecerit , facile contenti esse poteramus polioribus illis nationibus , nec desideramus Orientis & Septentrionis sordes , barbariem , ac prodigiosam tyrannidem : si respondeo , quod Asia quidem & Africæ , sub barbaris Imperiis

periis casus, & Græcorum Thracumq; calamitates, Cimbro-Barclai-  
rum, Gothorum, Vandalorumq; irruptiones, præcipuahu-<sup>Icon.c.2.</sup>  
manitatis commercia & elegantiarum, in ultimam Euro-<sup>sub fin.</sup>  
pam coegerint: tamen ut illæ Meridionales suas laudes ha-  
bent & labes: ita nec Eoi & Septentrionales omnem huma-  
nitatem decoixerint. Hoc certè laudabile, quod Orienta-  
les & Septentrionales confines non facilè suos mores gen-  
tiles, lingvam, cultum, habitum, & Remp. mutant, ut nos,  
sed omnia ritu & lege patriâ dicunt, agunt & retinent. Cum  
itaq; quælibet natio suas habeat Virtutes, sua Virtia, peregri-  
nemur, ut apes, quæ per prata, hortos, & viridaria errantes  
ex floribus optimum mel, non ut araneæ, quæ noxiū ve-  
nenum, sugunt. Hæc Platonis, ( ait Belgicus ille Cheiron,<sup>Cent. I.</sup>  
& Phoenix Europæ Juventutis ) hæc Pythagoræ, hoc De-E. 22.  
mocriti, & aliorum Sapientum mens olim fuit, qui relicta  
penu artium Græcia, non ad cultos solum, sed etiam ad bar-  
baros peregrinati, acri quodam cupidine discendi. Quibus  
à veteri ævo allegatis Sapientum Triumviris, aliam è patrū  
nostrorum memoriā Trigam subjungemus: Augerium Gis-  
lenium Busbequium Flandrum equitem, Cominæi, ut pa-  
triâ ita & Civili judicio atq; experientia simillimum: Joan-  
nem Leonclavium Westphalum; & Georgium Dousam Ja-  
ni Fil. Batavum: quos omnes peregrinationum Orientali-  
um propter egregium inde perceptum usum & voluptatem  
non poenituit. Ille enim publico nomine à Ferd. I. Imp.  
missus Legatus ad Soleimannum, initio de indole & mori-  
bus Turcarum à Joanne Maria Malvetzio præmonitus, po-  
stea ipse usu diurno penitus edoctus, eloquentissimas,  
&, quod hujus rei caput est, prudentissimas Legationis suæ  
Turcicæ, æterni ejus nominis obsides, Epistolas, & alia Cei-  
melia edita reliquit. Iste, nominis sui vernaculi Vir, quem  
ex Ungve Leonem agnosces, initio in contubernio militari  
Lazari Suendii Imperatoriis in Hungaria copiis summi Pre-  
fecti,

festi, Xenophontem in gratiam Castrensis sui Patroni ver-  
tit, & una statum Hungarici belli, Hungarorum ingenia, &  
mores accurate, ut & Turcarum hostium propinquorum  
ex parte præcepit: donec tandem Illustri Baroni Carolo Ze-  
rotino itinerum Orientalium comes & familiaris minister  
Vid. pre-factus, bonâ Orientis parte peragrata, Constantinopoli, &  
fationes in Turciæ meditulliis, Turcicas Muselmannorum Histori-  
et scripta as, cum multis aliis, ex Schedis Turcicis diligenter descri-  
Leonclav. vii. ptas, cum ingenti posteritatis commodo evulgaviit. Dou-  
sa verò, more suæ gentis ( cui quasi peculiare quoddam est  
longinquas ac transmarinas peregrinationes instituere ) à  
communi peregrinantium semitâ, relicto Occidente in Ori-  
entem, & confines ei provincias, contendit, reputans se-  
cum, quò plus laboris & periculi inter eū modi illi seseos er-  
rores subiret, eò plus se precii & gloriæ lucraturum. Quem  
profectionis suæ fructum & voluptatem, cum ad veneran-  
dum suum Parentem ( qui tûm ob præmaturum excessum  
filii sibi cognominis, & Patrem & seipsum supergressi, vehe-  
menter commotus erat ) prolixâ Epistolâ de Itinere suo  
Constatinopolitano, declarasset, non mediocriter divinum  
senem filii pietas erexit, ut vulnus animi ipsi paulò mitesce-  
ret, & cicatrice obductâ coire inciperet. Hoc ideo in an-  
tecessum præmittere volui, ut fastidiosis harum gentium  
contradicerem, qui nihil præter Italicam magnificentiam,  
Gallicam hospitalitatem, Hispamicam granditatem, Angli-  
cam histrioniam, & Germanicam gravitatem, cum adsitis  
ubiq; ne dicam, insitis, reciprocè vanâ levitate, libidine,  
fastu, & ventris studio, extollere solent; nescii, quod, ut in  
media Barbaria non omnia barbara; ita nec illic omnia cul-  
ta & urbana sint. Ut itaq; Lector πολύτερη Alterum Euro-  
pæ scenæ Actum domi præspicias, brevem quandam Oe-  
conomiam conspectui tuo proponam. Initiò sciendum,  
quod hic Actus de Industria nec caput, nec pedes habeat;  
hoc

hoc est redimendi temporis gratiā , ne vestra aurium indul-  
gentia abuteremur , pueris præfantibus & Eucharisticis ab-  
stinuimus : & ut Adolescentum & puerorum duodenarius  
par foret numerus . Pueri enim proludentes Adolescenti-  
bus Amoeboea carmina , singularum Nationum Virtutes ,  
& Vitia , laudes & labes comprehendentia , recitabunt . Ni-  
hil ulli Gentium irrogatum , aut detractum est : sed , si quæ-  
dam duriora dictu videbuntur , alienam popularis aut exteri-  
scriptoris litem non meam facio . Quæ enim singuli Populi ,  
aut singuli homines , laudanda faciunt , meritò laudari , & quæ  
vituperāda , vituperari quoq; modicè patientur . Hac animi  
& oris libertate usus est olim magn' statim adolescentis , nunc  
Vir planè sui nominis , Hugo Groti⁹ ; qui Pontificē Romanū  
Clementem VIII . Henricum IV . Galliarum , Philippum II .  
Hispaniarum , æmulos Reges , Albertum Cardinalem Archi-  
ducem Pro se , Pro Philippo Filio , & Isabellā Speratā , Elisa-  
betham Angliæ Reginam , & Ordines Belgii Foederatos ,  
conciinnā prosopopoeiā , de statu tum præsenti loquentes  
artificiose in scenam introduxit . Grotii exemplum nupe-  
ris annis secutus durante communi hoc Europæ incendio  
Johannes Rusdorffius in Scenā Europæā : de quo Opuscu-  
lo candidum hoc Illustris quidam Vir tulit judicium : Au-  
tor Elegidorum istorum , ait , exactā notitiā temporum ,  
Consiliorum , & rerum hujus ævi , excellens , Principes & Il-  
lustres Viros ad vivum expressit , eorumq; actionibus inge-  
niosè quasi penicillo convenientissimum colorem induit .  
Auctor verò picturæ Loquentis , cuius versus quidem spi-  
ritu & eloquio altiores Rusdorffianis , non ut ille leviter  
pungit , sed mordet . Mihi tutior semper visa media via fu-  
it , & Horatianum arrisit :

- - - ridentem dicere verum

Quid vetat?

Declamatorum primus , præmisso puero Epitomatore I.

A 3

suo ,



suo, postquam suam Laudationem præliminari Johannis Alberti Principis Poloniæ, cum fratre suo majore natu Vladislao Bohemiæ Rege, de Regno Hungariæ, utriq; à factione sua oblato, certaturi Elogio, præmunierat, de origine & mixtione Pannorum, Gothorum, Hunnorum, & Longobardorum; donec tandem Goths & Hunni duce Attila coalescerent, & illis excisis, Hunni, qui Patriam sibi cognominem reddiderant, Stephano I. Rege Christianissimo, cum Geisela Uxore cooperante, soli illic loci sedes suas perpetuas fixerint, compendiosè memorabit. Deinde de salubritate aëris, solifertilitate, metallorum fodinis, præcipue vero de Virtutibus & moribus; quæ duo, licet à barbarorum oppugnantium, & Christianorum propugnantium non levibus corruptelis, multum à prisco genio recesserint, tamen vestigia plurima veteris laudis & gloriæ adhuc signantiora extant. Quibus dictis præclara congesit observata de fortitudine, & animositate Hungarorum, ac in primis addidit de libertate: cum, licet Regnum sit superstibis regis familiishæreditarium, tamen ita libertati per Comitiam libera, & Palatini auctoritatem (qui Reginomine omnium procerum contradicere potest) cautum, ut Privilegia Regni sarta tectaque conservarentur. Declamatoris prioris assertionem nixam Joannis Alberti Elogio, Declamator II. Opposito Principis Imperialis & Historici Principalis Ottonis Frisingensis acri de Hungaris judicio diluit. Conbus gest, temit<sup>9</sup> vero exterarum nationum in Hungaris patet ex vulgaribus cavillis; nimis omnibus exteris plus semper cum morte undiquaque imminentे, quam cum Marte negocii esse solere. Virtus etiam Hungarorum Soleimanni judicio penitus extincta, & cum Matthia Corvino in eodem sepulchro condita est. Porro, quemadmodum Hungarica lues in corporibus; ita & corruptela morum, ex colluvie variarum Gentium orta, in animis incurabilis propè esse videtur.

Eam

Eam n. à multis seculis in hunc diem illuc grassari ferociā, & crudelitatem, & præcipue contemptum Germanorum, ut vix alibi insolentius, aut crudelius quicquam fuerit, aut esse possit, liquet. Attilam, metum illum orbis, & Dei flagellū (ut Michael ipse se appellavit & ab omnibus ita adorari voluit) fuisse Ritus de sangvinarium Helluonem, & Carnificem Generis humani, Rebus Historiæ illorum temporum cum horrore recensent. Quo Hung. l. 1.  
vix mitior fuit Georgius Waradiensis Episcopus, qui, teste Paul Jov. Jovio, adeò erat Germanorum contemptor, ut cum ex hisl. 39. Hist. duos milites suppicio affecisset, in eadem furca totidem patiter porcos ad ignominiam suspenderit. Quamobrem Janus longè mitior illo Georgio antecessore suo Waradinus Lud. Tu-  
Præsul Vladislauum Bohemiæ Regem, ab Hungariæ Proceri-bero bus ad regnum capessendum vocatum, benè monuit: Hun-Clement-  
garos multum lupi in se habere. Et Optimates nonnulli e. l. 2.  
Undem recens electum Principem, monuerunt: Hungaros Anton: non Clementia & impunitate, sed virgá ferreā in obsequio Bonfin. continendos esse. Ipse etiam Soleimannus Turcarum Do- rer, Hun-  
minus, cum Budam venisset: illacrimasse fertur Ludovici gar. Dec. 4. lib. 9.  
Regis imagini aspectæ, & dixisse: se non venisse, ut Regem paterno regno exueret, sed ut insolentiam Hungarorum re- Thuan.  
frenaret. Hinc cum Hungariæ à Septentrione Polonia sit, Hist. l. 1.  
ad eam divertit laudandam Declamator III. Ut verò cum III.  
Auctoritatis pondere faciat, Justi Lipsii pronissimi in Polo-cent. 4.  
nicam nationem illustre Elogium, quo eam ad palmam cul-Misc.ep.  
tissimarum Gentium assurgentem mirificè commendat prefi- 7.  
cit. Abundare illam quidē dicit proventu frugum, pecorum,  
cæræ, mellis, salis, ac aliorum fossilium: sed longè magis  
proventu elegantiorum ingeniorum, & literarum politura.  
Qua de re ausus est idem Lipsius alibi liberè pronunciare:  
Sarmatia vel supra Hesperiam utramq; exculta est. Gallo-  
rum doctissimus Bodinus, parcus alioquin exterorum præ-  
co, expressè ait: Poloni non tantum mollius, quam nos lo-  
quuntur:



quuntur: sed sunt etiam urbaniores, & cultu elegantiores.  
Nec hoc uni saltem Bodino, sed etiam aliis Gallis visum fu-  
it, qui, cum Delegatos Polonorum, Andino Duci Henrico  
decretum Electionis Polonicæ nunciantes, Latinè Galli-  
cèq; tām concinnè loqui audierant, ad rei incredibilis antē  
novitatem quasi obstupuerunt. Sed de ingenii & literis  
Polonorum, sine insolentia censem popularem scripto-  
rem audiamus, Equitem Polonum Simonem Starovolsci-  
um, qui præter Centuriam Scriptorū Polonicorum etiam  
compendiosam Poloniae Descriptionem, gemmam scil. an-  
nuli illius, preciosam, edidit. Is itaq; ita judicat: Tene-  
ram ætatulam litteris addiscendis impendunt, ut vernaculā  
& latinâ lingvâ legere & scribere sciant: Unde ne in medio  
quidem Latioreperias, cum quibus latine loqui, & ubi tām  
in Cancellaria Principis, quām in curiis Parliamentorum, in-  
feriorumq; omnium Judicium subselliis causas decisas, & mu-  
nimenta lingvâ Latinâ descripta videas. Non defuere no-  
bis insignes Mathematici, Astrologi, Oratores, Poëtæ, & Phi-  
losophi, tūm Medici, Jurisconsulti atq; Theologi, qui &  
Remp. ingenio suo, atq; scriptis illustrarunt. Ac supersunt  
etiamnum clara Patriæ suæ lumina, quorum monumenta  
quanquam nondum in lucem prodierunt, laude tamen, quā  
merentur, non carebunt. Hæc ille. Sed quia Regnum nō sal-  
tem liberalibus artibus, tanquam instrumentis pacis, sed et-  
iam fortitudine bellica contra hostes asserendum, Polonos  
fortes & strenuos existere, sēpē compertum est in prostratis  
& repressis hostibus suis Turcis, Tartaris, Moscīs & Svecīs.  
Nondum enim adhuc hodiè, quamvis remiserit paulò, ta-  
men non planè emarcuit in Polonis vigor ille animorum,  
laudisq; bellicæ studium, si modo virtuti sua præmia non  
deessent; Uti idem Starovolscius scribit: qui etiam Exem-  
pla fortitudinis editæ Ducum populariom multa enumerat,  
allegat o loco quidem summatim; sed fusè in vitis Illustrium  
Poloniae

Poloniæ bellatorum. Multi etiam Polonorum bello & pa-  
ce literis & armis æquilibres sunt: qualis fuit instar omnium  
Johannes Samoscius in togâ & sagô ~~au~~<sup>qu</sup>ide*xiwta* ~~at~~<sup>o</sup>, Magn⁹  
Regni Cancellarius & Summus Exercituum Polonicorum  
Præfectus: qui cum à Carolo Sudermannia Duce per con-  
temtum Scriba vocatus esset, qui arma deponere deberet,  
regisset, se cum honoris prærogativâ & decoro Cancellarii  
munus obire; quod non impediret Ecclesiasticos Imperii  
Electores, quin priorem locum haberent, præ secularibus:  
addiditq; se etiam exercit⁹ Polonicos supra XX. annos cum  
nominis sui existimatione duxisse. Quod deniq; Regimen  
Poloniæ attinet, Reges non successione sed electione fiunt:  
qui ad Leges patriæ, & Comitiorum decreta alligati sunt,  
ut idisertis verbis Eques ille suæ Reip. gnarissimus disserit.  
Quod enim Salustius de Romanis scripsit, illud & de Polo-  
nis dici potest, eos non totam libertatem, sed justos Domi-  
nos velle. Unde etiam, teste Starovolscio, Polonis Princi-  
pibus & magistratibus suis satis morigeri æquè omnium  
populi sunt. Memoratu digna sunt, quæ Johannes Lipsius  
, quem Lipsium Poloniæ Claudio Memmius Gallicus In reci-  
Legatus appellat, ad Sereniss: Reginam Poloniæ Cœciliam procis E-  
Renatam, nunc glorioiss: memorię, Viennā in Poloniæ pistolis  
regnum abducendam, in Oratione Avocatoria habet: Ibit<sup>de Cas-</sup>  
Majestas vestra ( inquit ) ad Regem fratrem, & Sponsum u-  
nicum humani generis delicium, multis invidiosè ambitum  
conscensura thronum, soliumq; regale, Tuis Aviabus & captivi-  
Materteris feliciter præcessum. Ibit ad regnum gentemq; tate,  
etsi omnium liberrimam, tamen reverentius ceteris regnis,  
ac populis, Reges Reginasq; suas tractare solitam; & in cu-  
jus sinu ex tua Avia natus Rex se tutò obdormiscere posse,  
quondam coram Regibus gloriatus erat. Contra Sarmati-  
cæ nationi probrum injicere voluit Henricus Rex, qui cura  
Fratri Caroli IX. Regis Galliarum, aliis Candidatis omni-

B

bus



bus prælatus, regale hoc solitum honorifici exilii specimē in-  
terpretatus est; & Johanni Monlucio Sarmaticæ nymphæ  
paranympho ob id obliquus factus est. Ejus Comites Gal-  
**Lansius**  
**in Orat.** li, cum literis cautum esset, ne qui s illorum etiam Indigena  
**Contra** regni redemptis prædiis & villis fieret, offensi per contemtū  
**Polon.** dixerant, neminem Gallorum esse tam abjecti animi, ut et-  
iam vellet Magnus Dux Litvaniæ fieri. Inter ea quæ Bar-  
**Barcl.** clajus noster huic Genti objicit, est ista crudelitas antiqua,  
**Icon.** sed jam antiquata, quod lege cautum fuisse, ut is, qui in-  
**c. 8. de** occisi hominis cadaver pauculos nummos projecisset, me-  
**Polon.** tu judiciorum solutus fieret. Alterum est, quod regnum  
Poloniæ diversis religionibus, Romanensi, Lutheranâ, Cal-  
vinianâ, Græcâ, Arrianâ, Armeniâ, Moscoviticâ, aliisq;  
scateat; & raro in miscellis istis opinionibus firmam esse  
concordiam contingat. Poloni etiam sunt quidem doc-  
ilia ingenia, & valent quocunq; intenduntur: sed tamen ali-  
enis inventis perdiscendis ea magis accommodant, quam  
ut novi aliquid ipsi excogitent, fatente ipso Starovolscio.  
**Cromer.** Idem Eques ingenuè etiam fatetur, in opificiis populares  
**I. 6. Sal.** suos minus elaborare, sed externis plenisq; opificibus anti-  
**Neugeb.** quitûs usos esse, & uti etiam nunc non paucis. Deniq; taxa-  
**I. 3. Polô.** tur à quibusdam Poloniæ superbia, commune malum: quâ  
ducti regem ipsum ad patrias Leges vi & armis adigere sole-  
ant; & Legem esse Regem, eum vero saltem Legis exsecu-  
torem, audacter interpretentur. Quamobrem Christina  
Vladislai II. Uxor judicavit: summum illud jus & Auctori-  
tatem Monarchiæ in Polonia umbratilem esse. Hæc & alia  
IV. Declamator vituperii loco regeret. A Polonia nunc trâs-  
fretum Balthicum trajiciendū in Cimbricam Chersonesum,  
& finitimam Sveciam, quæ ambæ olim, teste Plinio, officine  
gentium & vaginæ popolorum dictæ sunt: quod p̄sum lau-  
dis in V. Declamatorum incidit. Is autem Daniæ situm, &  
commoda terrestria ac maritima, statum Regis & Regni, for-  
titudinem

titudinem bellicam antiquam & novam, irruptiones in Italiā & Galliā, communem cum Germania in armis & fide morem, ac Norvegię socię dotes breviter recensebit. Ejus Antagonista VI. præmissa fabula de lupo marino, qui pro ludens pacato mari tempestatem portendere creditur, diducet ex Justino & Floro, immensa millia ferorum atq; immitium populorum, mōre procellæ inundasse Italiam, ut, cum Oceanus eorum terras obruisset, ausos illos fuisse novas sedes querere, & recentioribus seculis Nortmannorum eductas colonias, post varias terrarum depopulationes, tandem in Neustria Provincia Galliæ consedisse. Addet quoq; de Daniæ Regis imperfecta potestate, infrequentia populorum Insulanorum & pininsulanorum, quibus hodiè Dania constat, de commessandi & compotandi studio, ac cum Germanis certamine, & odio plusquam Vatiniano & inter necino adversus vicinos Svecos. VII. Declamator & Svecorum præco aspectu æmulationis & odii, inter hos & vicinos Danos, quasi ex specula despiciens, animadvertisit juxta Plinii Sententiam, Naturam nihil reliquise sine pari, cum quo velut in pugna gladiatoriæ committeretur. Nam licet illi cum suis consanguineis Gothis & Vandals olim omnibus populis formidolosi fuerint, & hodiè esse possint, si concordes cum Danis forent: tamen inter istas commissiones mutuas obstant sibi invicem, quo minus ad majorum suorum virtutem & famam utrinq; emineant. Hæ enim simultates & odia mutua intra seculi periodum in aliquot noxia & diurna bella eruperunt: quæ, licet interdum interventu Cæsaris, Regum, Principum, & Hanseaticarum Civitatum aliquoties consopita sint, tamēn damna reciproca, sub favillis taciti odii, altis mentibus reposita manserunt, donec oportuna occasio obtingeret sese vindicandi. Id quod hoc ipso Anno à Svecis factum est; qui præter omnem opinionem absq; omni inductione per feciales belli in Hol-

VI.

VII.

satiam

B 2



satiā irruptionem fecerunt, Danosq; terra mariq; aggressi  
sunt: non reputantes, quando bella eodem tempore con-  
tra duos diversos hostes incumbunt, difficulter & periculo-  
sè geri posse. Cum altero itaq; hoste & quiore ad accipien-  
das pætileges, paciscendum prius, ut alter tuius & felici-  
us armis peti possit. Qua cautione ipsi Sveci usi sunt ante,  
quam finitis sexennalibus cum Polono factis induciis,  
bellum Germanicum continuarent, Polonicas inducias in  
26. annos prorogarunt. Deniq; etsi Svecorum vulgus ad  
solam militiam legē Patriæ mancipatum sit: tamen Nobiles  
Regni studiis literarum adeò hactenus profecerunt, ut jām  
cum cultioribus gentibus Consiliis & Scriptis contendere  
incipiant. VIII. Declamator captā occasione vocabuli De-  
us, / quod Magus quidam, in Electione Sigismundi III. as-  
pud Samoscium, rogatus quis Rex futurus esset, invenit,  
& reflexis à tergo literis SVEDidiomate vernaculo exponi  
voluit, ac à Sveonensibus in idem interpretamentum nu-  
per detortum fuit )' probabit esse insolentiaë Sveciae argu-  
mentum; atq; hoc ipso nomini Svecico odium, & nobis ejus  
vanitatis credulitatem supplicia divinitū immissa peperisse. Ad-  
det quoq; victoriis & successu insolentiores factos, bella ex  
bellis serere & hostes omnibus in angulis novos provocare.  
Plura dici possent, nisi vererer me jactā aleā belli, hinc in su-  
spicionem studii, illinc odii apud partes prolapsurum.  
Quamobrem à Svecia in Moscoviam transibimus, in cuius  
laude IX. Declamator, probabit in media barbarie non o-  
mnia esse barbara. Nam inferet ex Barclajo, licet vix adul-  
to vere terra resolvatur, densis nivibus oppressa; tamen  
estate graviore fruges subito cestu ad nostrarum arborum fe-  
licitatem propè percoqui, & quod mirum, pepones matu-  
rescere melius illic, quam apud nos in liberaliore sole & solo.  
Deinde, licet Libertas aliis gentibus inestimabilis res sit,  
tamen non adeò culpabile possit esse, quod servitium illic  
loco.

Jocoliber tatis, Virtutis nomen sortiatur. Fidei & devotio-  
nis summæ argumentum est, fateri ultrò se Principi servi-  
re, cui in subditorum opes, in corpora, vitamq; jus sit. Vir-  
tute bellica præstare sæpè eos contra quotidianos hostes,  
Turcas, Tartaros, & Polonos: & ne emarcesceret illa, ho-  
stes lacesfere aut repellere; &, quia pro more gentis bella o-  
mnia celeritate constent, equitatum peditatuī præferre so-  
lere, docent Annales. Hoc tamen mirabile est in Moscis,  
gentem servitudinatam & adsvetam, tam sagacem esse, &  
callidam, ut etiam mercatoribus peregrinis suspecta sit, Barcl.  
quos ut decipiatur, in suum post-usum sæpe aliam patriam sibi <sup>Icon.</sup>  
fingere solet. Anti-Moscus vero, qui X. occupat ordine  
locum, ut Moscos odiosos faciat, docet ex Johannis Fabri de  
Moscovitarum R eligione, esse in quibusdam Moscovix  
tractibus incolas, qui loco panis, quo ob defectum frumen-  
ti carent, bestiis vescantur, & ex ferino hoc quotidiano con-  
victu ipsos quoq; Bestias & feras absq; dubio fieri. Asserit  
etiam juxta inclem tam aëris & terræ, tantam tyranni-  
dem, tam ipsius Principis, ( id quod Basilidæ alterius Phala-  
ridis exemplo ex Joh. Oderbornio Vitæ tyrannicæ Scripto-  
re luculenter probat ) quam etiam magnatum, qui tamen  
ipsi serviunt, esse erga foecem plebis. Tam rudes etiam Mo-  
scos esse literarum & pietatis, ut etiam pauci plebeiorum  
Orationem Dominicam sciant, dicantq; Orationem Domi- <sup>Alex.</sup>  
nicam & Confessionem scire, dominorum & sacerdotum <sup>Guagin</sup>  
qui nullis laboribus occupantur, opus esse; sibi autem in <sup>ter. Pol.</sup>  
Deum, & Filium Iesum Christum, & Spiritum Sanctum  
simpliciter credere, satis esse. Tam timidos etiam esse,  
significat, ut, ubi pavore inceperint, ad desperationem acti-  
vertantur: adeò ut ex prælio fugientes, si assequitur eos ho-  
stis, nihil ausi repugnare, ita se victoribus dedant, ut nec  
mortem deprecentur. XI. Declamator admirandam Tur-  
cici Imperii Magnitudinem Romanæ proximam aut secun-  
<sup>tom. 2.</sup>

B 3

dam,

XI.



dam, ut tabellā quadem exiguā repræsentet imitatione Flori: qui Romanum Imperium ita exhibuerat, proponit, quomo<sup>d</sup>o infantia illius à Scythis cæperit: pueritia cum Persarum stipendiariis accersitis, qui plus Julii Cæsaris Solduriis devoti, processerit correpta Asia luxuriantis parte: adolescentia vegeta ac vivida sub Amurathe, Græciam illud Mufarum Domicilium occupante sese exseruerit: juventa & maturitas virilis cum Selymo Soldani Ægyptii Regiones, opes, & arma ditipientis, effloruerit: & tandem incrementum ætatis in Soleimanno maturuerit: & jam in summo fastigio constans, in senectutem devergere videatur. Quia verò Imperium facilius partum, quam conservatum est, Turcæ absolutum dominium variis instrumentis nacti sunt, quod hostem dominon exspectarint, sed foris exemplo Anibalis in Italia, & Scipionis in Africa, quæsierint. Præterea avitas stirpes, quibus Imperium hoc comparatum, non in suum periculum extulerunt, sed potius novos homines, & quos pueros è Dalmatia & Illyrico, vel ex debito dependentes, vel raptos, circumcidit, & in Mahumetica religione confirmari curarunt: neq; concedant literas & artes moliores discere, quibus Virtus Martia emasculatur inter Christianus. Principem etiam suum ingenuo affectu mirè colunt, atq; umbram hunc & effigiem numinis curant. Turci etiam malunt in casa Viri magni habitare & inde prosilire, quam in palatiis mulierosos se aspectum prostituere. Si quis verò unquam scriptorum Virtutem Turcarum, certè eminentis ingenii eruditionis & dignationis Vir Busbequius Legatus Ferd. I. Imp. ad Ottomanicam Aulam, quam Portam vocant, Epistolâ Turcicarum primâ, graphicè depinxit, cuius hæc saltem excerpta in desiderium cæteri elogii satis prolixî exhibemus: Gianizarorum magnus numerus. Sed nullus in tanto conventu nobilis, nisi ex suis virtutibus & fortibus factis: natalibus nemo à reliquis distinguitur: honos

honos cuiq; prouinseris & officii, quod administraat ratione defertur: nullum ibide loco certamen, muneris genus quo fungitur, suum cuiq; locum assignat. Munera verò & officia princeps ipse distribuit. Ergo Turcæ rebus gestis florent, dominantur, imperii fines quotidiè proferunt. Apud nos aliis vivitur moribus. Virtuti nihil est reliquum loci: omnia natalibus deferuntur, opinione natalium omnes honoris auditus occupantur. Hæc & plura alia ille Prudentiæ filius.

Ultimus deniq; Declamator vehementi ardore invehitur in Turcarum ferum genus, & ad urbium artificiorum, & scientiarum excidium natum, Christianorum Vitiis, quam sua Virtute felicius. Hanc publicam Orbis Iuembabarō impetu, tūm multitudine hominum confluentium, & servili ac austera parendi disciplina invaluisse, ex Barclajo, demonstrabit: qui cum præ reliquis Gentibus Turcarum Indolem, mores & facta satis fusè tractavit, nolo diutius hic immorari. Hoc saltem addo, Turcarum insolentiam ex apparatu aulico, splendidissimo ornatu, firmo satellitio & innumerabilibus exercitibus, ac opibus immensis, ut etiam titulis apud Christianos Principes usurpati satis apparere. Sed cogitare Turcæ deberent, omnem humanam magnitudinem crepundiis similem esse, eamq; ut arborem integro seculo vix eminentem, unâ horâ extirpari posse: leoni à sevicolâ aviculâ: tauro à viperâ vitæ periculum esse, & ingentem aprum à parvo cane teneri posse. Jam etiam Turcos luxu & ignavia, ac dissidiis laborare, quibus nos debellati sumus; itidem debellandi à nobis, modò Principes Christiani in concordia & mutua confidentia coalescant. Prolusâ hac Actus Barclajani Oeconomiâ, restat ut nuper facti promissi mei fidem librem, atq; à Te petam, LECTOR πολιτικώτατε, cum debitâ honoris & dignitatis præfatione, quo ad Autumnales epulas, Bellaria, & Apophoreta, quæcunq; in Septentrione, & Oriente desultoria curâ conquiri potuerunt, in Prytaneo bonarum mentium Elisabetano, solenni more vocat⁹ compareas; cum non nemo pridem ultrò mihi condixerit. Quemadmodum verò apud Veteres inter cænandum ac rognata omnis generis adhibebantur, aut symphonia personabat triclinium, aut instrumenta varia organaq; concinebant; Tragoediæ aut Comœdiæ mimiq; agebantur, incendebanturq; odores naribus: Ita simi i nos Romani illius luxus ( si parva licet componere magnis ) triclinium Nostrum cantu fidibusq; & Pueris vorsa, Adolescentibus prosa Oratione Scenæ Orientalium & Septentrionalium populorum ludionibus, tanquam quæfitis oblectamentis, adornabimus. Utinam ab ovo usq; ad mala epulum hoc,

ad quod

XII.



ad quod quidam vestrum nonnulli integrum famem allaturi videntur ,  
sale conditum , ut cæna aliqua Platonica , posteris diebus saperet . / Vale  
itaq; , veni , fruere , & favo . Scribeb . Vrasisl . xiv . Kal . VIII . bris . A . G .  
cIc Ic XLIV .

**ACTORES** erunt  
**Adolescentes**                    **Pueri totidem**  
                                      **declamabunt**

1. Christianus Benjamin Albertus	1. Joh. Wilhel. Reichel.	
Vratisl. pro Hungaria.		
2. Philipp. Jacobus Saxo Vratisl.	2. Joh. Sigism. Haunolt.	
contra eam.		
3. Abrahamus Germanus Vratisl.	3. Joh. Daniel Major.	
pro Polonia.		
4. Georgius Güntherus Vratisl.	4. Joh. Albertus.	Amæbæa
contra eam.		Carmina
5. Christoph. Müllerus Vratisl.	5. Godofrid. Tilgnerus.	pro laude
pro Dania.		& labee ex
6. Adamus Valent. Profius Fav- ranus contra eam.	6. Tobias Han.	adverso
		singula-
7. Christophorus Albinus Namsl.	7. Henricus Vollgnad.	rum gen-
pro Svecia.		tium per
8. Godofredus Baudisius Favora.	8. Christianus Böhm.	interval-
contra Sveciam.		larecita-
9. Daniel Vogelius Angelo-monta- nus, pro Moscovia.	9. Sigism. Kopffer.	bunt.
10. Daniel Francus Vratislav.	10. Joh. Nossel.	
contra eam.		
11. Laurentius Brandius Vratisl.	11. Christianus Schebler.	
pro Turcia.		
12. Joachimus Nergerus Gripho- mont. contra Turciam.	12. Godofrid. Neuman.	

Ung. VI 58. (A)

ULB Halle  
002 686 287

3



56,

VDI 7  
Sep. 2000 Pcl.





# Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White Black 3/Color

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19  
Centimetres  
Inches

IS VIRI  
**Barclaji**  
norum  
rum Eu-  
um,  
*ſæ Orationis*  
atus:  
CTOB.  
XLIV.  
*betani Panegyri*  
ponendus,  
**COLERO**  
ofesfore.  
**BAUMANNO.**

